

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Christophori Cellarii Compendium Antiquitatum  
Romanorum**

**Cellarius, Christoph**

**Halae Magdeburgicae, 1774**

**VD18 10161015**

Sect. I. De Lvdīs Generatim.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17085**

LIB. VIII.  
DE ROMA LVDIBVNDATA.

SECT. I.  
DE LVDIS GENERATIM.

CAP. I.  
DE CAVSSA LVDORVM.

§. I.

**L**VDIS & certaminibus quam maxime Romani delectabantur; nec tantum voluptatis causa illos celebrabant, verum etiam ad placandos, ut putabant, deos. g) CICERO *orat.* III.

g) Ludi variis ex causis a Romanis instituti sunt, quarum hæ potissimæ fuerunt: 1) *ad placanda* videlicet *numina* atque ad auertendam eorum iram fauoremque sibi conciliandum, ut TACITVS *lib. XIV. anal. cap. 23.* testatur; 2) *in honorem defunctorum hominum*, quæ de re IAC. GVTHERIVS *de vet. iur. pontif. lib. III. cap. 18.* videndus est; 3) *ad gratiam benevolentiamque populi adquirendam.* Noui enim magistratus sub muneris sui auspiciis magnis sumptibus ludos populo dare solebant, ut eius fauorem sibi conciliarent. Supra iam obseruauimus, multos consules, depositis fascibus, ob hos editos ludos in paupertate summa viuere debuisse, quoniam ex priuatis sumptibus a magistratibus institui solebant. Augusti tempore hoc ita in usu fuit, ut nemo honestiorem in republica prouinciam adgrederetur, quin magnam opum suarum partem spectaculis consecraret, ita, ut Augustus luxum hunc coercere eique obuiam ire necessarium duxerit. Et, quoniam ex am-

bi.

III. *Catil. cap. 8* : tunc & ludi decem per dies facti sunt ; neque res vlla, quæ ad placandum deos pertineret, prætermiffa est ; & CENSORIVS de natali die cap. X : ludi scenici placandorum deorum cauffa instituti sunt. Adde VALERIVM MAXIM. lib. II. cap. 4. §. I.

## §. II.

Originem ostendit LIVIVS lib. VII. cap. 2. in pestilentis anni descriptione : ludi quoque, inquit, scenici noua res bellicoso populo inter alia celestis iræ placamina instituti dicuntur.

## CAP. II.

## DE DIVERSITATE LVDORVM.

## §. I.

VARIJ generis erant ludi. h) Antiquiffimi Romani sub regibus etiam vfitati, de quibus ad EVTROPII *Romulum* diximus. QUOS FLORVS lib. I. cap. I. vocat *ludos equestres*. His proximi erant *circenses* in circo maximo curru acti. De scenicorum origine modo diximus ex LIVIO.

## §. II.

bitione a magistratibus exhiberi solebant, & alter alterum ludorum magnificentia superare studebat, ludi isti *honorarii* dicti sunt, vt recte locum SVETONII vit. Aug. cap. LII. ISAAC. CASAVBONVS interpretatur : adde EZECH. SPANHEMIUM de usu & præst. numism. tom. II. p. 150.

h) Ludi, si formam spectes, in *circenses*, *gladiatorios* & *scenicos* : si tempus, in *statos*, *rotiuos* & *extraordinarios* : si vero modum, in *publicos* & *priuatos* diuidi possunt.

§. II.

Fuerunt etiam *venationum* ludi in amphitheatro haberi soliti, vbi cum beluis, in Italia minus cognitis, sed ex Africa & Asia adductis, certatum fuit in populi oblectationem. Erat & *naumachia*, simulacrum naualis pugnae.

§. III.

Omnium autem clarissimi ludi & celebratissimi erant *gladiatorii*, ad quos saepissime etiam a CICE-  
RONE & scriptoribus aliis adluditur, ideoque cura-  
tius nobis, quam ceteri tractandi erunt.

§. IV.

Ludi alii *publici* erant, qui maxima pompa pro salute ciuitatis, aut ad demerendam populi gratiam instituebantur; alii *privati*, quibus priuatim & inter amicos erant dediti.

§. V.

De publicis hoc loco agendum est, quorum varia fuerunt genera. Nos praecipua tantum & ea feligemus, quae ad intelligendos scriptores, qui in iuuenum manibus sunt, maxime facere videntur. Et tales quidem sunt, quos proprie *ludos Romanos* vocabant & *circenses*: porro ludi *scenici*, *gladiatorii*, *venationum* & *naumachiae*.

SECT. II.

DE LVDIS SPECIALIBVS.

C. A. P. I.

DE LVDIS CIRCENSIBVS.

§. I.

**R**OMANI ludi κατ' ἐξοχήν ita dicti sunt ipsi cir-  
 Cellar. Antiquit. Gg cen-